



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Forum Competens Quæstionibus ex Universo Jure  
selectis, atque ad praxin utilissimis illustratum, Seu  
Tractatus Canonico-Civilis**

**Friderich, Melchior**

**Ingolstadium, 1709**

§. VII. In quibus causis prorogari Jurisdictio possit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61662)

delicto occulto contractâ, vel Votis, Juramentis &c. Imò nec Archiepiscopus cum subditis suorum Suffraganeorum, quamvis volentibus, dispensare potest, vel eosdem absolvere: cum subditi ipsius non fiant nisi per appellationem. *C. Pastoralis de Offic. Ordin.* Quæ vera sunt, tametsi subditus alienæ Diocesis in hac peregrinetur: absolutionem enim, vel dispensationem impetrare nequit, ut ostendit *Suar. l. c. n. 10.* nisi hîc quasi domicilium constituat. Poterit tamen Episcopus alienis subditis Beneficia sibi subiecta conferre. *C. ad decorem §. de Institution.* Qua ratione mox fiunt ejus subditi. *C. cum nullus de Tempor. Ordinat. in 6.* Possent vero Regulares Exemptos in se prorogare Episcopo Jurisdictionem Voluntariam, dixi supra n. 415.

## §. VII.

*In quibus Causis prorogari Jurisdictio possit.*

## S U M M A R I U M.

450. *Judici laico prorogari Jurisdictio Spiritualis nequit.*  
 451. *Neque Episcopo alieno sine licentia proprij.*  
 452. *Clerici alieno Episcopo sine consensu proprij nec in profanis causis prorogare jurisdictionem possunt.*  
 453. *Possunt vero Laici Judici Ecclesiastico in causa etiam profana.*  
 454. *Victi coram eodem non possunt appellare ad Judicem secularem.*  
 455. *In causa Appellationis non habet locum prorogatio.*  
 456. *Nec in Feudali.*  
 457. *Nec in illis, quæ sunt reservata Principi.*  
 458. *Aut, quas iste ad se advocavit.*  
 459. *Multiplex advocandi modus affertur.*  
 460. *Si advocatio facta est favore publico, non potest in causa advocata Judici inferiori prorogari jurisdictio.*  
 461. *Secus, si facta est in favorem partium.*

450. Certum est, & receptum apud omnes Theologos, Canonistas, & Legistas, etiam Heterodoxos, non posse Judicis profani Jurisdictionem prorogari in causis spiritualibus vel spirituali annexis, tametsi qui prorogare velint, sint laici: neque ad hoc licentiam dare posse Episcopum. Ratio patet: quia, ut supra resolvi *n. 406.* prorogatio locum non habet in causis, de quibus Judex prorogatus inter suos subditos cognoscere non potest: non enim hæc esset prorogatio, sed Jurisdictionis concessio. At Judex secularis non potest cognoscere inter subditos de causis spiritualibus vel spirituali annexis, cum sit omnino incapax & incompetentens ad cognoscendum de illis. *C. Decernimus 2. & C. Quanto 3. de Judic. C. Tuam de Ordine Cognition.* Quam inhabilitatem partes tollere non possunt, ut per se patet. Nec etiam Episcopus causas hujusmodi laicis committere potest. Panorm. *in cit. C. 2. n. 4. Felin. n. 6. & 8. Decius n. 5. v. secundo non obstat.*

451. Sed neque laici prorogare Jurisdictionem alieno Episcopo possunt sine licentia proprii in causis, ut vocant, Sacramentalibus, id est, quoad Sacramenta, ut videlicet ea ab alieno Episcopo percipiant, prout constat ex dictis *n. 448.* An autem possint in alijs causis spiritualibus non Sacramentalibus, quales sunt causæ Decimarum, Juris Patronatûs &c. controversum est. Affirmant Panorm. *in C. Significasti de Foro comp. n. 15.* Felinus *ibid. n. 1.* Decius *ibid.* aliique, quos allegant Petr. Barbosa *in L. 1. ff. de Judic. art. 3. n. 206.* & Oliva *de Foro Ecclesiæ p. 3. q. 14. n. 83.* Rationem dant: quia *cit. C. Significasti* solum Clericis prohibetur, ne alieni Judicis Ecclesiastici Jurisdictionem in se prorogent. Laicis autem nec ibi nec alibi id prohibitum est. Verum prohibitio ista etiam quoad laicos contineri videtur *C. 3. de Parochis & alien. Parochian.* ubi dicitur: *nullus Episcopus alterius Parochianum judicare presumat: nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest.* Ubi paritas instituitur inter collationem Ordinum Ecclesiasticorum, & inter causarum cognitionem: atqui certum est juxta dicta *n. 449.* non posse Episcopum alienos subditos ordina-

re absque consensu proprii ipsorum Episcopi: ergo eosdem nec poterit judicare. Eadem habentur *Can. Nullus 1. 9. q. 2.* Unde etiam laicos in nulla causa prorogare alieno Judici Ecclesiastico Jurisdictionem sacram absque consensu proprii posse, tenent Hostiens. & Joan. Andreas in *C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg.* Idemque Hostiens. in *Summa Tit. de Foro comp. n. 14. V.* Et numquid laicus, Ant. Butrio in *cit. c. significasti n. 10.* Geminian. ac alij. Addit Oliva *l. c. n. 84.* ita praxi observari.

452. A fortiori Clerici alieno Episcopo absque consensu proprii nec in spiritualibus nec in profanis causis Jurisdictionem prorogare possunt: cum hoc ipsis expressè sit prohibitum, ut fuis dictum est supra *n. 412.* Idemque tenendum est de Regularibus aliisque quibuscunque personis Ecclesiasticis juxta communem DD. excepto casu, de quo supra *n. 415.* Et quidem sive laicus in causa sacra, sive Clericus in sacra aut profana, jurisdictionem absque consensu proprii Judicis Sacri alteri prorogent, prorogatio, & per consequens processus & sententia non valebunt. Ubi enim deficit jurisdictione, ibi invalidus est processus & sententia. At deficit jurisdictione, ubi prorogatio locum non habet, cum dari illa nequeat, nisi per prorogationem legitime factam. Ita tenet Panorm. in *cit. C. significasti de Foro compet. n. 21.* ubi dicit esse communem. Quin communis pariter receptaque doctrina est contra Glossam in *cit. C. significasti V. Clerici,* non convalescere & validari sententiam ab alieno Judice Ecclesiastico latam, tametsi postea accedat rati habitio proprii.

453. Sed jam quæstio superest de Laicis, utrum in causa temporali ad Judicem laicum pertinente, hoc relicto, Judici Ecclesiastico prorogare iurisdictionem possint. Possè supponit Mindanus *L. 1. de Process. formand. c. 11. n. 4. & 5.* ac passim alij, nullo, de quo mihi constet, negante, & solo Bocero dubitante. Obstare tamen videtur textus *C. Ex tenore 11. de Foro compet.* ubi cum quædam femina causam profanam introduxisset apud Judicem Ecclesiasticum, ad querelam Comitum Britanniarum causa ad ipsum

requis-

remissa fuit tanquam ad Judicem competentem. Nec causas profanas etiam Viduarum recipi à Judice Ecclesiastico vult ibidem Pontifex, nisi ipsis à Judice Seculari negetur justitia. Verùm ibi fermo est solùm de ea Vidua, quæ causam profanam absque consensu adversarij proposuit coram Tribunali Sacro. Unde nihil obstat, quò minus laici mutuo consensu possint in causis etiam profanis adire Judicem Sacrum. Præcipuè cum olim, & quidem primis etiam Ecclesiæ Seculis Episcopi passim causas etiam profanas inter laicos deciderint, uti patet ex Concilio Carthagin. III. *Can. 9.* qui refertur *Can. Placuit 43. 11. 9. 1.* Anacleto Pontifice *epist. 1. in fin. & L. 1. C. Theodos. de Episcopali Judicio*, ubi Constantinus statuit, ut *quicumque litem habens, sive possessor sive petitor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, sive cum negotium peroratur, sive cum jam cœperit promi sententia, judicium eligit Sacrosanctæ Legis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etsi alia pars refragetur, ad Episcopum cum sermone litigantium dirigatur.* Eandem jurisdictionem sequentibus Seculis exercuisse Episcopos apud Visigothos, constat ex Cassiodoro *L. 3. epist. 37.* nec non apud Gallos ex *L. 7. Capitul. 107.* Et S. Augustin. *in Psal. 118. & epist. 147.* fâteretur, laicorum lites ad fastidium & magnâ suâ molestiâ ad seidentidem deferri, & judicari. Idem de se testatur S. Ambrosius *epist. 24.* Complura alia hac super re congerunt Baronius *ad annum Christi 57. n. 24.* Filescus *in C. 1. de Offic. Judic. Ordin. Rouselius L. 6. Histor. Pontifi. Jurisdic. c. 1. § 2.* Josephus Stephanus *de Potest. Clarvium L. 1. c. 12. n. 9.* Germonius *L. 2. Sacr. c. 12. § 13.* Emman. Gonzalez *in cit. C. 1. de Offic. Judic. Ordin. n. 6. & in C. 2. de Judic. n. 7.*

454. An verò laicus à sententia Judicis Ecclesiastici, cui in causa profana jurisdictionem prorogavit, provocare possit ad Judicem secularem, dubitatur. Affirmit Mindanus *l. c.* tum quòd renunciatio Fori competentis, uti omnis alia renunciatio, odiosa est, ac idcirco ultra mentem renuntiantis non extendenda. *L. 1. ff. si quis in jus vocat. nonjer. & L. eum 13. ac L. ult. ff. de Jurisdic. tum*

tum quòd reductio cujusvis rei ad statum pristinum est favorabilis. *L. Voluntate 10. ff. quib. mod. pign. vel hypotheca sol. L. Si unus §. Pactus ff. de Pactis.* Verùm hæc opinio rejicienda est. Nam appellatio non datur, nisi ad Judicem superiorem illo, à cujus sententia appellatur. *L. 1. §. penult. ff. de Appellat. L. 1. prin. ff. Quis & à quo appelletur. C. Dilecti 66. de Appellation.* At Judex secularis non est superior Judicis Sacri. Forètque admodum absurdum & monstrosum, ut ait Bocerus *de Jurisdic. c. 7. n. 39.* sententiam datam à Judice Ecclesiastico, postmodum per appellationis viam censuræ subjici Judicis secularis. Accedit, quòd juxta *cit. C. Si duobus 7. §. Denique de Appellat.* à Civili Judice, qui non est de temporali jurisdictione Ecclesiæ, appellari non potest ad Papam. Multò igitur minùs à Judice Sacro appellari poterit ad secularem. Neque valet prior illa ratio Mindani: nam etsi renuntiatio sit de se odiosa, non tamen derogari debet Juri communi, quo statutum est, ut appellatio fiat ad Superiorem, qualis, ut dixi, respectu Ecclesiastici non est laicus. Neque secunda: est enim intelligendum illud axioma de reductione rei ad pristinum statum, de ea re, quæ Jure permittente ad pristinam suam causam redire potest; non de alia. *argum. L. Adeo 7. §. cum quis ex aliena v. est tamen. ff. de Acquir. rer. domin. §. cum aliena v. & post multam Inst. de Rer. division.* Pariter non valent rationes Bocerii *l. c. n. 35.* in dubium vocantis, an laicus in causa profana prorogare possit jurisdictionem Judicis sacri. Ut Ecclesiastici litigatores, ait, sua in causa prorogare nequeunt jurisdictionem secularem, ita vicissim nec laici in sua causa seculari prorogare jurisdictionem Ecclesiasticam posse videntur. Sed mala est hæc sequela. Ideò enim seculari Judici Clericus prorogare in se jurisdictionem nequit, quia is jurisdictionem spiritualem, qualis requiritur ad judicandum Clericum, nec habet, nec ejusdem, absque concessione SS. Pontificis, est capax. Est verò capax jurisdictionis in causis profanis Judex Ecclesiasticus, & constat, eam à Prælati Ecclesiæ passim exerceri. Addit, Clericis vetitum esse se immiscere

A aa

negotijs

negotijs secularibus *Can. Episcopus dist. 88. nec Ecclesiasticos secularia negotia curare. Can. 1. § seqq. 21. q. 3.* Verum hoc intelligendum est de casu, quo id fieret absque iusta & rationabili causa, & nisi aliud suadeat charitas. Aliàs dicendum foret (quod esset impium dicere) S. Ambrosium, S. Augustinum, aliòsque sanctissimos Ecclesiæ Præsules, peccâsse causas profanas suorum Dioecesanorum decidendo, quas frequentissimè deciderunt, ut ostensum est *num. preced.*

455. Hucusque de causis Ecclesiasticis quoad Judicem secularem, & de secularibus quod Judicem Ecclesiasticum: nunc universim de causis Judici utrique communibus agendo dubitatur, an in causa appellationis locum habeat prorogatio, seu utrùm relicto superiore Judice, ad quem provocandum de Jure foret, quispiam alius adiri possit. Negandum est cum Baldo *ad tit. de Pace Constantiæ col. 13. V. secundum mores. Alexand. in Addition. ad Bartol. in L. 2 prim. ff. de Judic. Speculat. Tit. de Appellat. §. Nunc tractemus V. Quid si defacto. Felin. in C. P. & G. de Offic. & potest. Judic. Deleg. n. 7. Maranta in Praxi Judic. p. 4. dist. 12. n. 22.* aliorumque communi. Quia appellatio fieri gradatim debet, hoc est, à Judice inferiore ad superiorem. *L. 1. §. penult. ff. de Appellat. & L. 1. princ. ff. Quis & à quo appelletur. C. Dilecti 66. de Appellat. L. Imperatores 21. ff. eod.* Nihil tamen obstat, quò minus relicto Judice inferiore primæ instantiæ prorogari jurisdictio possit Judici appellationis, & coram ipso in prima instantia agi. Nec enim in tali casu datur appellatio, quæ gradatim facienda est, sed agitur prima instantia, in qua, paucis casibus exceptis, licita est prorogatio, & reus juri suo, videlicet fori præscriptioni, libere renuntiare potest. *L. penult. ff. de Pact. L. si quis in conscribendo § 1. C. de Episc. & Cleric.*

456. Similiter dubitatur de causa Feudali, an scilicet in ea prorogari jurisdictio possit alieno vel feudali vel allodiali Judici. Affirmant aliqui, quos tacito nomine refert Bocer. *de Jurisdict. c. 7. n. 30.* Negat communissima DD. testaturque Olivap. 3. de Foro

Foro Eccles. q. 14. n. 115. se nullum contradictorem invenisse. Mihi quoque non licuit ullum invenire. Rationem dant: quia §. ult. tit. 55. L. 2. Feud. ait Frideric. Imperator: *Si inter duos Vasallos de Feudo sit controversia, Domini sit cognitio, & per eum controversia terminetur.* Quin dubitat Schraderus p. 10. de Feud. sect. 3. n. 133. utrùm etiam consentiente Feudi Domino prorogatio in causa feudali fieri possit, adductis non paucis rationibus: quæ tamen tanti ponderis esse non videntur, ut propter eas à communi & unanimi DD. sententia (de qua ipsemet testatur l. c. ac propterea contrarium asserere non audeat) recedatur. Nec immeritò asserit Bocer. cit. n. 30. §. *Etsi verò*, non esse dubitandum de prorogationis valore cum consensu Domini factæ; cum enim quilibet juri pro se introducto derogare possit, L. si quis 51. C. de Episcop. & Cleric. L. penult. C. de Pact. non est ratio, cur hoc non possit etiam Feudi Dominus, utpote in cuius favorem statutum est, ut de causa Feudali nemo alius, quàm ipse, cognosceret, eò quòd ipsius plurimùm intersit, sententiam inter Vasallos ritè ferri, utpote per quam ipse æquè, ac Vasallus condemnatus, lædi posset. Quod porrò idem Schraderus l. c. n. 142. ex Panorm. Barbat. Præposit. Curt. Jun. ac alijs addit, Domino Feudi à Vasallis prorogari jurisdictionem ad causas sive lites non feudales non posse, intelligendum est de illo Feudi Domino, qui vel nullam aliam jurisdictionem, nisi feudalem, vel certè in eo genere causæ, in quo facienda foret prorogatio, non habet. Si enim aliàs jurisdictionem habet ordinariam, & quidem ejusdem generis, cujus est illa, quæ ipsi prorogaretur, nihil obstat, quò minus ipsi æquè, ac alteri Judici ordinario, prorogetur. Cæterùm dictam regulam de nullitate prorogationis in causa feudali, Felin. in C. Cæterùm 5. de Judic. à n. 6. limitat tredecim modis, seu, ut vocat, fallentijs. Verùm nulla ferè earum huc pertinet, cum sint tantùm ij casus, in quibus Dominus Feudi jus dicere in causa Feudi nequit, v. g. quando Vasallus omnino negat ipsum esse Feudi Dominum, aut Vasalli con-



tendunt de aliqua re non feudali, aut unus Vasallus cum Domino, aut hic esset suspectus &c. Idem dicendum est de limitationibus, quas hic affert Socin. *Tract. de Regul. V. Jurisdictio.*

457. Quemadmodum verò causa feudalis inter Vasallos agitata prorogari nequit, quia reservata est Domino Feudi: ita universim prorogari nequeunt, quæ sunt reservata Principi, tamen prorogatio fiat in habentem æqualem potestatem & prerogativam. Ita communissima DD. per textum *C. per venerabilem, insuper Qui filij sunt legitim. juncto S. fin. in Authent. quib. mod. natural. efficiunt. sui collat. 7.*

458. Ob eandem rationem locus non est prorogationi in causa, quam Princeps ad se avocavit: nisi hic consenserit. Cum enim reservata Principi, ut modò dictum est, prorogari nequeant, consequens est, neque illa prorogari posse, quæ ad se avocavit: cum avocando sibi reservaret. Ita Baldus in *C. 1. S. Præterea de prohibet. alien. Feud. Felin. in C. P. & G. de Offic. & Potest. Judic. Deleg. Maranta in Praxi Judic. p. 4. dist. 12. n. 26.* Unde communiter receptum est, quòd exempti per SS. Pontificem non possint prorogare jurisdictionem Ordinarij Judicis absque licentia ipsius Pontificis, non ea solum ratione, quòd Clericus absque licentia sui Superioris ac Ordinarij (qui respectu Exemptorum est solus Papa) prorogare jurisdictionem alterius Judicis etiam Ecclesiastici nequit: sed etiam, quia SS. Pontifex illos eximendo à Jurisdictione Ordinarij, & eorum causas sibi reservando, tacitè disposuit, ne illi sine ipsius voluntate alium Judicem inferiorem adirent.

459. Habent tamen ista, quæ modò de avocatione dicta sunt, aliquam distinctionem & explicationem opus. Ut verò ritè & absque confusione (quæ Doctoribus hic passim obrepit) procedatur, prænotandum est, quòd avocatio fieri potest vel expressè vel tacitè. Expressè fit, quando Superior inferiori Magistratui præcipit, ut huic vel illi causæ se non immisceat, ejusque cognitionem non

non assumat, vel ut à coepto jam negotio desistat, & ad suum avocantis tribunal remittat. Tacitè fit avocatio, quando Superior manum apponit, & de causa vel ipse cognoscit, vel eam alicui delegat, sive iatroducta jam fuerit apud Ordinarium Judicem inferiorem sive non. Deinde fieri potest avocatio vel in favorem partis utriusque vel alterutrius partis litigantis (uti plerumque contingit) idque aut motu proprio, aut ad instantiam partis, vel non in favorem partium, sed aliam ob causam, v. g. quia est suspicio collusionis cum Judice inferiore, vel quia in hac causa diffidit Princeps peritiæ, vel æquitati, vel fortitudini Judicis inferioris. Tandem avocatio fieri potest simpliciter, solum præcipiendo Judici, ut hanc illamve causam non assumat cognoscendam, vel in ea non pergat ulterius, sed ad Superiorem remittat: aut cum clausula irritante, videlicet addendo irritum fore & esse, quidquid post inhibitionem attentaverit.

460. His prænotatis dicendum est: quando Superior causam ad se avocat à Judice inferiore, non in favorem partium, sed alia de causa, idque vel expressè vel tacitè, non possunt illæ prorogare jurisdictionem. Sic tenent omnes, patetque ratio ex hæcenus dictis: quia hic non agitur de ipsarum favore, cui renunciare possint; sed de tertij vel publico, cui nemo privatus suo pacto derogare potest. Sed dubium est, utrùm avocatio irritum reddat, quidquid post eam à Judice inferiore avocationis etiam ignaro actum fuerit. Affirmant Panorm. Imola, Franc. ac alij apud Covarr. *Pract. qq. c. 9. n. 7. conclus. 2.* si avocatio, ut aiunt, motu proprio facta sit, tametsi absque clausula irritante. Rectius tamen idem Covarru. *l. c.* cum alijs tenet, non esse invalida acta Judicis inferioris, quamdiu avocationis à Superiore factæ ignarus est. *arg. C. sanè 2. de Offic. & potest. Judic. Deleg. & L. Hæc autem §. Non defendit ff. Quib. ex caus. in possess. eat.* Nisi clausula irritans fuerit addita: avocatio enim causæ cum hac clausula facta operatur, ut acta Judicis inferioris post illam, etiam ignorantis, sint omnino irrita, uti patet ex *C. Si postquam 13. C. Dudum*

14. §. *Considerantes*, & C. *Quodam* 40. de *Præbend. in 6.* tenetque Glossa communiter recepta in C. 1. de *Concess. Præb. in 6. V. Refferri.*

461. Jam verò agendo de avocatione factâ in gratiam partis, statuendum est cum Bald. in L. 1. C. *Ut lite pend.* Innocent. in C. *Audita de Restit. Spoliat.* Panorm. in C. *Ceterum de Rescript.* & *ibid.* Felin. n. 11. & 12. Dominic. in C. 1. §. *Ex parte de Concess. Præbend. in 6. n. 12.* Covarr. cit. n. 7. *conclus. 1.* Lancellot. de *Attentat. c. 10. n. 18.* per eam non suspendi vel tolli Judicis inferioris potestatem, donec pars, in cujus gratiam avocatio facta est, ea uti velit, & causam coram Judice superiore agitandam dicat. Cum enim favori pro se introducto renuntiare possit, idque facere censeatur, nisi rescriptum, quo causa ab inferiore Judice avocatur, producat, séque eo frui velle ostendat, consequens est, quòd jurisdictionem Judicis inferioris agnoscat, & consequenter acta valeant. Limitant quidem Panorm. Felin. Dec. aliique, quos refert Gabriellus L. 6. *Commun. Opin. tit. de Clausulis conclus. 3. n. 8.* aiuntque, hoc non procedere, quando decretum avocatorium habet clausulam irritantem: per hanc enim omnem jurisdictionem adimi Judici inferiori autumant; hancque proinde à parte litigante dari non posse, eò quòd partes, ut multoties jam dictum est, non conferant jurisdictionem, sed priùs jam existentem solum prorogent, seu extendant. Verùm non placet hæc restrictio. Absolutè itaque assero cum Dominic. l. c. Felin. in C. *Ceterum de Rescript. n. 19.* Dec. *ibid. n. 6.* Covarr. cit. *conclus. 1.* Tiraq. in L. *Si unquam V. Donatione largitus C. de Revocand. donation. n. 321.* Menoch. de *Arbitrar. casu 1. n. 7.* non obstante clausulâ irritante liberum esse parti, in cujus gratiam rescriptum avocatorium emanavit, coram Judice inferiore causam introducere, vel introductam continuare. Nam sicut ipsum rescriptum causam avocans non nisi in gratiam partis datum est, ita ut Princeps hoc suo favore uti quidem concesserit, non tamen cogere intenderit: ita pariter clausula irritans, quæ apponitur, in ejusdem partis favorem

rem adijcitur, videlicet ut irriti sint omnes actus Jurisdictionis in partem invitam exercita. Quin ulterius dico contra Panorm. Felin. Dec. ac aliorum communem *in cit. C. Caterum de Rescript.* valere acta Judicis inferioris parti volenti jus dicentis, tametsi motu proprio & non ad instantiam partis emanarit rescriptum avocatorium etiam cum clausula irritante: dummodo constet, in gratiam partis emanasse. Manet enim etiam hic illa regula, quod quilibet favori pro se introducto possit renunciare, & quod Princeps non obrudat suos favores invitis, nec cogat jis uti, sed solum concedat. Quamdiu igitur pars, in cujus favorem rescriptum emanavit, & quæ scit illud emanasse, eo uti non desiderat, sed coram Judice inferiore litigat, tamdiu valent acta, quia non deficit jurisdictio, uti patet ex *cit. C. Audita de Restitut. Spoliat.*

## CAPUT II.

### De Foro Delegationis.

#### §. I.

#### *Forum Delegatum quid sit.*

#### SUMMARIUM.

462. *Discrimen inter Jurisdictionem Ordinariam & Mandatam explicatur.*  
 463. *Traditur modus discernendi unam ab altera.*  
 464. *In dubio præsumitur Jurisdictio esse Ordinaria.*  
 465. *Forum Delegatum est, quando Jurisdictio Mandata exercetur.*

462. Non semper Judices Ordinarios Jurisdictionem in subditos per semetipsos exercere, sed alijs exercendam committere notum est. Qua ratione cum teneam comparere coram Judice, quem Jura non dederunt, sed quem fors extra ordinem obtulit, idcirco Forum hujusmodi est Extraordinarium, æquè ac illud, quod